



Ung

VI-184.

Occasionalia VI-184.
potissim. in carmina gratul.
ubi in W-Z
(Cassiana et alij segregata)
Infta paginta. ~~S. 184.~~ s. 184a.)



Schulst. Brigg
104

METHODI
SCHOLASTICÆ
TRIENNIALIS
CURSUS CONTINUATUS
CUM
CATALOGO
LECTIONUM PUBLICARUM,
TERTIO HOC ANNO
TRACTANDARUM,
AUTHORITATE
SERENISSIMÆ PRINCIPIS
REGENTIS,
ET TOTIUS
ILLUSTRIS CONSILII
BRIGENSIS,
ORDINANTE
GYMNASII SCHOLARCHA,
ANNO M DC LXXIV.
I. FEBRUARII.



BRIGÆ,

Imprimebat Johannes Christophorus Jacobi.



METHODI

SCHOLASTICAE

TRIENNIALIS

CURSUS CONTINUATUS

ERASMUS.

In Epistola quadam ad Petrum Viterium de ratione Studii
& Institutione rectè instituendâ.

Primo loco ad conciliandos Auditores, Ejus laudes, quem praelegendum sumit, paucis explicet. Deinde argumenti jucunditatem utilitatemq; ostendat, & quam potest dilucidè & breviter summam ejus explicet. Carminis genus diligenter indicet, post ordinet simplicius, deinde singula fusius explicet. Postmodum, si qua insignis elegantia, si quid priscè dictum, si quid græcanicum, si quid obscurius, si durior aut perturbatior ordo, si qua etymologia, si qua derivatio aut compositio scitu digna, si qua orthographia, si qua figura, si qui loci Rhetorici, si qua exornatio, si quid depravatum, diligenter admoneat, &c. Postremò ad Philosophiam veniat, & Pœtarum fabulas aptè trahat ad mores, tanquam per exempla admonens, quid sequi, quid fugere, quid vitare, quidq; imitari deceat. Hac ratione fiet, (si modò ingenii dextri sit Præceptor) ut etiamsi quid inciderit, quod inspicere possit atatem illam, non solum non officiat moribus; verum etiam utilitatem aliquam afferat, &c. Hæc Methodus ad aliorum etiam Authorum, præterquam Pœtarum, tractationem extendi & accommodari potest.

METHODI CONTINUATIO.



Biennio (uti ex prima Methodi delineatione videre est) Unum Publicorum Studiorum Curriculum determinavimus: Cumq; biennium jam effluxerit, superest ut Tertio hoc, qui jam ingreditur, anno rationem ineamus, tum eorum, quæ biennio hoc absoluta sunt, tum quæ ex iisdem absolvenda restant.

Et postquam ex Clementissima SERENISSIMÆ PRINCIPIS REGENTIS voluntate altero hoc anno Vir plurimum Reverendus & Excellentissimus Dn. Antonius Brunsenius, vacanti Rectoratus Regimini susceptus; quo ita ad Doctrinæ fervorem, ipse etiam Disciplinæ vigor accederet; atq; anima illa Studiorum ac vita, Ordo, omni ex parte sibi constaret, aucto insuper in Inferioribus Classibus Præceptorum numero: Quantum hoc ipso in Publicum Gymnasii bonum profectum sit, prætereundum non videtur, ut constare hinc possit, quantum intersit ea recte fieri, quæ semel in Methodo præscripta, & DIVI nunc Principis Nostri CHRISTIANI Autoritate ac approbatione stabilita confirmataque sunt: Et quomodo his vestigiis, maximo cum fructu Scholasticæ Juventutis, porro insisti possit, præsertim ubi ipsa executio & Praxis eadem vel calculo suo omninò comprobaverit, vel ansam & occasionem dederit; nonnulla etiam, non sine ratione tamen & majore etiam Juventutis cum fructu, mutandi: Omnia eum in finem, ut impostertum certioris & constantis Regulæ instar esse possint, ad quam Studia Publica porro dirigi, exigi, & feliciter absolvi queant.

Primum autem & Palmarium, quod in Usum vel maximè traducendum erat, fuerunt Examina Privato-publica (quæ Pensorum vocamus) per omnes Ordines singulis mensibus instituenda: Quæ quidem ante Rectoratus plenam potestatem Uni traditam successum suum habere non poterant: Ab eo autem tempore, eundem felicissime consecuta sunt; Ita ut evidens jam nunc documentum esse possint, tum diligentia Præceptorum, tum Profectuum in discipulis. Cui quidem Instituto tanquam unico promovendorum publicorum Studiorum Medio & Remedio, ipsâ abunde jam docente experientia, eo majore cum studio & contentione porro insistendum, quo fructus ejus est major, consuetudo rarior: Quod non facile in quopiam Gymnasio, continua hujusmodi & constans Publicorum Studiorum ratio pariter urgeatur.

Alterum, quod Publicarum Læctionum Ordinem & Tractandi modum concernit: quomodo illæ scilicet præcedente anno, & quousq; absolute: quomodo hoc insequente continuandæ, hic sigillatim enarrandum. Et quidem.

IN PRIMO ORDINE.

I. LOGICA occurrit. Hujus Læctio paucioribus quam antehac

A 2.

(binis

(binis saltem hebdomadatim) horis tractata, non minori tamen quam antea fructu; Idq; propterea, quod Theoriæ jam Praxis facilius jungeretur, Auditoribus nostris in ipsa doctrina Logica anno superiore exercitioribus redditis. Ubi tamen tum propter eos, qui noviter in hunc Ordinem translati, tum ex aliis & peregrinis locis haut parvo numero in Gymnasium nostrum confluxere, (in humanioribus Ordini huic sic satis maturi, in Logicis plusquam hospites) In Theoriâ, initio *Synopsis Doctrinæ Logicæ* reasumta & denuo explicata est: Cui absolutæ *Topologia Oratoriæ* Thilonis subjuncta, & publicè prælecta, Usus Doctrinæ Topicæ in Oratoria ex Eodem ostendendo, & pluribus insuper exemplis atq; Exercitationibus extemporaneis multifariam illustrando. Hæc q; priore Semestre acta.

Alterum Semestre ipsa Praxis & *Exercitatio* Logica potissimum occupavit: Quæ quidem triplex fuit. *Prima*, consistens in applicatione singulorum Instrumentorum Logicorum ad certam aliquam materiam, tanquam Thema, accommodatorum. Idq; Primum, *per viam Compositionis*, Examinando Thema illud per Prædicabilia, Prædicamenta, Ante & postprædicamenta, tanquam Terminos Simples: Mox ex Terminis Simplicibus formando Propositiones tam simplices quam compositas; Et ex Propositionibus Syllogismos, tam Perfectos per omnes tres Figuras, quam Imperfectos pro diversitate materiæ videlicet, ut & Compositos. Deinde *Per viam Resolutionis*, proponendo Syllogismum aliquem, eumq; resolvendo in Argumentationem, ejusq; partes, quæstionem videlicet & medium terminum; ostendendo simul nexum, quo medius terminus cum subjecto vel prædicato quæstionis cohæret & propter quem probandi vim habet, idq; tum probabiliter, tum necessario & demonstrativè: Dehinc monstrando, quomodo ex dispositione medii cum prædicato quæstionis, formata fuerit Propositio major, ex dispositione cum subjecto, minor, quæstione conclusionis loco manente, unde totus Syllogismus exortus, qui tanquam Perfectus, porro in qua sit Figura, quomodo Enthymematicè idem proponi, quomodo sub forma Composita possit. Post Propositionem quamcunq; Syllogismi examinando per Partes, subjectum, prædicatum & copulam; ut & Species, utrum Simplex sit vel Composita, nec non Affectiones, quomodo ei alia opponi, quomodo eadem converti & quæ æquipollens allegari possit. Deniq; Propositionem resolvendo in Terminos simplices; inquirendo, utrum Prædicatum sit unum ex quinq; Prædicabilibus & quale; & utrum ut Synonymum sive Univocum aut Analogum, vel Homonymum & Æquivocum, vel Paronymum prædicetur de subjecto: Subjectum vero, in quo sit prædicamento, an directe an indirecte & quomodo reducendum: Quæ quidem ratione totius Logicæ repetitio instituta toties, quoties Thema aliquod tum Genetice examinandum, quam Analyticè resolvendum propositum fuit. Propositum autem & sapius & in variis materiis, tam vulgaribus quam gravioribus Superiorum disciplinarum videlicet, Ethicis præsertim, Politicis & Physicis, utpote disciplinarum maximè realium, & quarum fundamenta hac ipsa tractatione simul imprimi Auditoribus atq; instillari possunt. Ita ex Politicis
præcipua

præcipua ejus capita Examini Logico subjecta; Uti sunt Respublica, Monarchia, Imperator, Subditus, Consiliarius, Leges, Ærarium, &c. Sicq; ex Phisicis & Ethicis. Hæc q; omnia Extemporaneo exercitio facta, quo & minimum temporis infumtum, & Auditores Logicam ipsam jam non ex Præceptis amplius, sed ipsa Praxi addiscebant. Hæc autem Exercitatio Primo Methodi nostræ anno jam cœpit, in materiis videlicet vulgaribus, quemadmodum in Secundo Examine Ejus publice Specimen datum. Altero hoc anno, & in vulgaribus instituta, propter inferiores & novitios: Et in gravioribus continuata, propter Superiores, ut in doctrina Logica ejusq; usu sic magis ac magis confirmarentur, sicq; utrisq; simul satisfaceret; prouti in Tertio ut & Quarto, tanquam ultimo Examine Publico, Auditorio demonstratum.

Alteræ Logicæ Exercitatio adultior jam hoc primùm anno, idq; altero semestri potissimum, instituta est. Ea q; in Thematum tam Simplicium quam Compositorum tractatione Topica. In qua scilicet Thema simplex per omnes Locos Inventionis eo ordine, quo in Topica traduntur & in Topologia Oratoria Thilonis repetuntur, deductum, allegando argumenta declarantia ex quovis Loco Topico deprompta, quomodo Topologia Oratoria cum Logica egregie conjuncta est, atq; Usus Logicæ simul in Oratoriis, ratione Generis Didascalici potissimum, ostensus. Themata Composita vero, seu quæstiones ad probandum sic propositæ, ut inquisitio fieret in media probationis, eaque tum ex natura subjecti tum prædicati petita, eundo pariter per singula Inventionis Loca, atq; ex iisdem medios terminos probationi idoneos depromendo & allegando. In qua Tractatione posteriore hoc semestri potissimum laboratum, cujus etiam Specimina in Publico Examine Ultimo exhibita sunt.

Tertia deniq; Exercitatio occupata fuit in Modo disputandi & Sophismata resolvendi tam generali quam speciali, idq; juxta disputandi Methodum superiori anno jam traditam, & hoc ipso repetitam. Quæ quidem ratione Logica hoc anno quater & amplius absoluta censeri potest, factumq; ut Auditores nostri doctrinam Logicam cum ejus Usu non didicerint tantum, sed totam imbiberint quasi & exhausserint.

Tertio ergo hoc Methodi nostræ Anno, hæc porro Studii Logici instituenda erit ratio. Primum quidem, ratione Theoriæ IDEA LOGICÆ PRACTICÆ typis modo expressa proponetur: In qua omnia ad Doctrinam Logicam pertinentia, & quæ fusc hætenis, ac quasi per partes tradita sunt (quod nullus Authorum suppeteret, qui Universa, idq; breviter, sit complexus) singulari Methodo & ad usum unice accommodato, summa tamen cum brevitate comprehenduntur: Inprimis autem Doctrina Topica, suis ex fundamentis eruta, tam clarè proponitur, ut non tantum totum argumentandi artificium in probando videlicet & probationem quamcunq; confirmando fuerit detectum: Sed & modus, si non satis firma sit argumentatio, eandem convellendi & refutandi ostensus. Hæc ergo publicis prælectionibus exponetur, & tum exemplis pluribus Oratorum videlicet & Poëtarum illustrabitur, pro Inferioribus potissimum; tum uberiore præceptorum explicatione,

plicatione, ut & eorum, quæ vel majoris sunt indaginis, vel usus amplitudini inserviunt, in gratiam Superiorum: Idque ex Logica Practica in unci Filii usum antehac à nobis conscripta, vel alio quopiam optimæ notæ authore. Cum primis vero Habitudo Terminorum Simplicium Inventioni & Argumentationi inservientium, qui vulgo Topici dicuntur, diligenter explicanda, quomodo sit Fundamentum & Principium nexus argumenti, seu medii termini, cum partibus quæstionis, propter quem probandi vim habeat, sicque argumentationem constituat: Et quomodo hic Nexus, per determinationem Trium Terminorum necessitatis, fiat necessarius; sicque argumentationem pariat Apodicticam & Demonstrativam: Sicuti econtra per determinationem Trium Terminorum contingentia, fiat contingens, sicque Argumentationem pariat Dialecticam & probabilem tantum. Porro quomodo Tres illi Termini generales, tam necessitatis, quam contingentia, in se comprehendant omnes distinctiones & limitationes, quibus omnes Canones Topici & Maximæ restringuntur & limitantur: Ita &, quomodo omnes reliquæ distinctiones, quæ pene infinitæ in Libris Topicis traduntur, ad hæc tria Capita, tanquam certa sub signa, revocari possint, quibus videlicet stabiliri possit omnis argumentatio, si firma sit; vel refelli & refutari, si infirmior; & quousque valeat ac admitti possit; in quantum autem consequentia ejus non procedat, ostendi. Quæ quidem in Idea Logicæ clarissimè exposita sunt; in Logica Practica vero pluribus declarata. Et hæc Methodus doctrinam Topicam tradendi & exercendi, etsi à nemine hæctenus tentata est, egregiè tamen procedit, & non minus perspicuè quam breviter omnia ea complectitur, de quibus Authores vulgo totos, eosque ingentes libros Topicos, conscripserunt. Hac itaque ratione Synoptica Logicæ institutio & repetitio, accedente doctrina de Methodo, quæ etiam in Idea breviter delineata est, Exercitationi ipsi præmittetur.

Ipsa vero Exercitatio totidem fere modis instituetur, quot anno præcedente. Et Prior quidem eadem cum Superiore futura est, quod nulla alia extet ratio, quâ Logicæ habitum feliciter consequi liceat: Hoc insuper observato, ut materiæ eligantur novæ & præsentis instituto accommodatæ. Altera vero Exercitatio in Thematum Simplicium & Compositorum tractatione consistens, sicuti anno superiore Ordine & Methodo simplici instituta, eundo per omnia inventionis Loca; Ita nunc Methodo distincta magis & acroamatica ineunda erit, pro cujusvis scilicet thematis natura, ex præcipuis tantum, & præsentis materiæ facientibus Locis; argumenta tam declarantia quam probantia petendo, eaque ordine, cujusque Thematis tractationi magis accommodato, persequendo: Distingvendo Themata Simplicia in Perfecta & Imperfecta, Substantialia & Accidentalibus, Absoluta & Relata: Composita vero sive Complexa, in Pura & Mixta, Perfecta & Imperfecta, & unicuique suam, ac quasi propriam, tractationem assignando; & quidem in Thematis Compositis Eam præcipue, quæ Disceptationi sive Disputationi sit accommodata, prouti in Idea paucis indicatum, in ipsa vero Logica pluribus edoctum. Unde jam ratio etiam constabit

constabit Disputationes quascunq; in qualibet materia conscribendi, sicuti & Tractatum aliquem methodicè concinnandi. Atq; huic Exercitationi adjungi deinde potest Eadem Tractatio Oratoriè instituta, quomodo Topologia Logicæ & Oratoriæ συζυγία iterum egregie monstrari, atq; huic fini Topologia Oratoria in subsidium reassumi iterum poterit. Quæ quidem omnia si pari, qua hæctenus, dexteritate fiant, quemadmodum nulli dubitamus: Equidem non video, quid in Logica Doctrina superesse, aut in ejusdem tractatione à quopiam desiderari possit. Atq; hæc de Logicæ tractatione ideo hic pluribus exposita sunt, quod Eadem impostertum scopus, mensura & terminus esse possint Studii Logici maximo cum fructu instituendi: Cum si hac ratione Studiosorum animis infigatur, tum demum futura sit id, quod antiquitatis præconio dudum celebrata est, Instrumentum videlicet instrumentorum, Ars artium & Scientia scientiarum.

II. ORATORIA. Primo Semestri Partitiones Oratoriæ Vosii publicis prælectionibus explicatæ & ad colophonem perductæ, una cum Manductione ad Exercitationem Oratoriam, tum in Parte Generali, secundum Tria Causarum genera, tum Speciali, secundum materias particulares instituta, ut in Orationibus Panegyricis, Gratulatoriis, Valedictoriis, Nuptialibus, &c. juxta methodum ab Authore traditam; Cujus specimina etiam in Tertio Examine publice exhibita.

In Altero Semestri *Idea Partitionum Oratoriæ*, in hunc usum à Clarissimo Dn. Brunsenio conscripta, reasumta, discursu super eam instituto, tum ex ipsis Partitionibus Vosii, tum ex aliis Authoribus Principibus, Causino videlicet & Masenio, in quantum Ager Oratorius horum utiliter inventis magis magisq; excolendus videbatur. Hancq; mox iterum Exercitatio excepit. Primo quidem in Amplificationibus, per Causas, Anthiteta, Distributionem, tanquam unicum Adminiculum, per quod in exercitati copiosæ dictioni advescant: Deinde in ipsis Orationibus juxta ductum præceptorum elaborandis, & quidem ita; ut Superiores totam Orationis Ideam efformarent, Inferiores vero per partes, Exordia, Narrationes, Confirmationes, sive Tractationem solam, exercerentur. Tandem ex Oratoria Speciali Sermones Gratulatorios, Nuptiales, hisq; affines vel extempore haberent. Quo exercitio ad eam, quam in Quarto hoc Examine frequenti Auditorio dicendi facilitatem & promptitudinem comprobarunt, pervenere.

In hoc ergo Studio Oratorio hoc anno nihil restat, quam ut prioribus insistendo Vestigiis, Eadem servetur Methodus: Auditorum captui & profectibus magis magisq; eandem aptando, id quod Profitentis dexteritati remittimus; hoc uno addito, ut in Parte Oratoriæ Speciali, Methodus Syllogistica in Oratoriâ, sive Usus Logicæ Syllogisticus, ostendatur, atq; Exemplis Orationum specialibus confirmetur. Ubi maximi Usus fuerit, vestigia quidem Michaëlis de Radau in Oratore Extemporaneo sequi, cum hæc Methodus Dn. Patribus Societatis magna ex parte debeat, qui etiam eam sibi quasi propriam fecerunt: Utendo tamen dicendi genere Juventutis studiis magis accommodato, plano videlicet & perspicuo, ac nativa magis elegantia,

quam quæsito ornatu luxuriante, uno verbo, verè Ciceroniano, quod sub
sublimi, difficili & abrupta, ac quasi Cothurno incedente dictione ipsum
dispositionis artificium magis lateat, & ab inexercitatis non facile agnosci, ne-
dum recte apprehendi queat. Ad quod illud etiam non parum faciet, si
transitionibus aptis membra illa tractationis inter se connectantur, quæ res
Orationi flumen cumprimis conciliat. Hujusmodi ergo Orationum Exem-
pla, vel à Docente tradi ac exarari, & ipsis præceptis subjungi, sicq; demum
ad imitandum Auditoribus proponi, maxime ex usu fuerit.

III. In STYLO quoniam tres Authores Latinitatis culturæ assignati
sunt, Cicero in Orationibus, Curtius, & Horatius vel Virgilius. Orationes
quidem Ciceronis anno elapso absolutæ sunt quatuor: Pro lege Manilia, pro
Archia Poëta, pro Rege Dejotaro & pro Milone: Ex quibus ea, quæ est pro
Lege Manilia prolixitate duas alias æquat, prout & hæc pro Milone, quæ ad
finem jam decurrit. Et ut constet quo cum fructu absolvantur: In earum
Prælectione hæc observata exponendi ratio. 1. Occasio ex historia & vita
Ciceronis monstrata fuit. 2. Genus, Status & quæ ad Oratoriam spectant
indigitata. 3. Analysis cujusq; partis dictata. 4. Tropologia & Sche-
matologia ab inferioribus præcipue exacta. 5. Ratio amplificandi de-
monstrata. 6. Quæ ad antiquitatem & Romanam consuetudinem per-
tinebant, explicata. 7. Ubiq; fere per singulas periodos ratio imitandi in
diversa materia fuit subjuncta, quo ita Totius deinde Orationis Imitatio fa-
cilior redderetur.

Hoc ergo anno aliquot porro Orationes Selectiores ex Cicerone expo-
nentur, priori Methodo insistendo: Ita tamen, ut unicuiq; Orationi absolutæ,
una vel altera ex Orationibus Historicorum, Curtii præcipue, Salustii vel
Livii interponatur, eo consilio, ut Asiatico dicendi generi, quale optimum
ipsius Ciceronis, Juventus semper & perpetuo initietur; ex Historicorum au-
tem Orationibus, tum Orationi majestatem addere, tum laconismo eandem
temperare addiscant; sicq; ad Styli perfectionem vel huic ævo nostro magis
accommodatam adspirent. In Curtianis Orationibus examinandis & imi-
tandis Valentinus Thilo egregie præivit in Oratore suo Curtiano. In Livia-
nis quibusdam, ut & Salustianis Causinus Oeconomiam eorum felicissime
ostendit, imitationem neglexit, qua tamen non minus opus, quam in Ci-
ceronianis.

CURTIUM dignum Authorem, qui Magnum Alexandrum orbi
ostentaret, & si ullum alium, cum florida dictione conjunctam habentem
Orationis majestatem, Clarissimus Dn. M. Camerarius annuo hoc spacio
absolvit. In cujus tractatione ad hunc triplicem scopum potissimum colli-
mavit. 1. Ut ante omnia elegantiam Orationis Auditoribus ostenderet
& inculcaret. 2. Ut ad meliorem Authoris intellectum Historicam rela-
tionem lectionibus vel præmitteret vel conjungeret: In quem finem Syno-
psin Curtianam, Alexandri Magni Ortum, Res gestas, Eventus & Contem-
poranea, & post Alexandrum inclinantis Imperii Scissionem, breviter tan-
quam in Idea repræsentantem, laudando studio conscripsit, ac præsentem
negotio

negotio accommodavit. 3. Monita Politica, quorum uberiores Author hic occasionem suppeditat, tum circa consilia propagandi conservandive immanis Imperii, tum circa eventus & mutationes rerum præcipuè, adjunxit. Unde non sine fructu Authoris hujus tractatio esse potuit apud eos, qui & attentos & sedulos sese Auditores præbuerunt. Huic ergo nunc ex primo Methodi instituto SVETONIUM sufficimus, & incorruptâ facundiâ, quam ipsi laudem merito Authorum nonnemo tribuit, & rerum ac casuum varietate, qualis in quassato toties, tot sub Imperatoribus, orbis Imperio non poterat non esse, cum primis commendatus. In quo parem ideo tractationis modum adhibendum, & materiam præcipuè Politicarum rerum ac magnorum Exemplorum inter explicandum, non prætereundam censemus.

HORATIUS priore Semestri à Dn. M. Camerario continuatus; In quo viginti Odæ absolutæ, unâ cum Imitatione, hinc inde pro temporis ratione & materiæ occasione institutâ. Posteriore semestri, quia Poëtæ lectio Viro Doctissimo Dn. Joh. Leubischero cesit, ex Virgilio Ecclogæ V. priores explicatæ, ornatum Rhetoricum & Styli Poëtici vim ac emphasin præcipue notando, mox imitatione ad quamlibet Ecclogam Parodicâ exprimendo; uti ad Ecclog. IV. Carmine Votivo pro felicitate Principis: Ad V. Ecclogâ Sacrâ, sive Nocte Christi Natalitia, decantantibus eam Pastoribus Bethlehemiticis, Menalco & Thyrsi. Quanto autem cum fructu fuerit Poëtica Lectio, Actus Poëticus, novissimè in Epilogo annuarum Lectionum publicè habitus, testatum fecit; In quo ab octo Candidatis Controversia in Deorum Concilio de Literarum & Divitiarum principatu exorta, & tandem Jovis Autoritate pro Principe Literarum honore (satellitio tamen divitiarum illustriore) decisa, Carmine Heroico, proprio Marte composito, celebrata. In hoc ergo Poëta nunc continuabuntur Operæ, quas etiam singulas, vel præcipuas saltem, Imitationes, utpote longè hic utilissimæ, excipient.

IV. In EXERCITIIS STYLI, Editioni Tractatus Epistolici mora anno superiore injecta. Proinde in Exercitiis Styli Soluti, pro Exercitationibus Themata tractanda & amplificanda proposita sunt; Pro minus exercitatis consimilia è Germanico in Latinum vertenda. Dehinc Epistolæ secundum tria Causarum genera exarandæ, una cum Manuductione ad easdem, traditæ sunt. In Stylo Ligato pariter Themata, ut Epicedia, Gratulationes, proposita sunt, Superioribus quidem nudam dando dispositionem, Inferioribus vero materiam turbatam. In his ergo pari industria pergere licebit.

V. In ETHICA, ad Repetitionem ejus, præeunte Itero, anno hoc proximo accessit Ethica Exemplaris, Clases prævaricantium contra quamcunq; Virtutem continens, tanquam vera doctrinæ Ethicæ Praxis. Utriq; ergo una cum Exercitiis Ethicis, de quibus in Actu Disputatorio, sedulo insistendum.

VI. In POLITICA. Absolutis Ciceronis Officiis anno priore Lectio Politica demum succesit, adeoq; serius cœpit; In qua tamen Decem priora Capita Libri primi absoluta: Ut, De Politicæ Natura, Rerumpubl. origine, Magistratu in genere, de Libertate, Jure Domini, Religione, Minoribus

Magistratibus, Legibus, Opibus Rerumpublicarum. Quibus, tanquam maximi momenti materiis, ideo momentosius inhærendum fuit. In Tractatione autem Authoris hæc observata Methodus. 1. Explicatus Author, conferendo unà Nothas ipsius Authoris, & quæ non in omnium manibus sunt, Hornii. 2. Substitutæ nonnullibi rerum Definitiones, ubi scilicet Author, sublimioribus magis intentus, eas omiserat. 3. Sensus Authoris, non ubiq; omnibus obvius, redactus in Logicam Analysin, quomodo sua cuiq; Capiti Idea breviter & succincte constabat. 4. Cujusq; Capitis explicationi Quæstiones nobiliores annexæ, Horis deinde disputatoriis hebdomadatim ventilandæ.

VIII. In HISTORIA Dn. M. Camerarius Justinum absolvit, præter Historiæ declarationem Synchronismum studiose persequutus, monitis insuper Politicis atq; rarioribus Temporum observationibus non neglectis. Justino ergo nunc succedet SLEUDANUS de Quatuor Summis Imperiis, Author Classicus & hæc usq; nostra Tempora, prouti ultima in editione per D. Strauch locupletatus est, attingens.

IX. In THEOLOGIA & Sacris Nobilissima illa Epistola Paulina ad Galatas publicâ prælectione tractata & absoluta. In qua 1. ad Græcæ simul Lingvæ Usus, Textus græcus grammaticè resolutus. 2. In tota Epistola Analysis Logica, eaq; per terminos Artis monstrata, in Analysis Logicæ exercitium simul. 3. Cum hæc Epistola præcipue de vera Justificatione, ex sola fide, sine operum merito, & Ceremoniarum additamento, agat, ex singulis versibus modus, varia eruendi consuetudines & observationes adnotatus: idq; in insignem Usus Studiosorum Theologiæ potissimum, & qui Cathedræ olim parantur, prouti aliquando ii agnoscent, qui hic diligentiores esse voluerunt.

Nunc ergo Psalmi Davidis, qui vulgo dicuntur graduum, suffiendi potissimum videntur: Idq; propter lingvæ Sacræ Culturam, Grammaticè eosdem resolvendo; & Logicæ usum Analysin eorum instituendo; imprimis vero Theologiæ Capita explicatione persequendo.

X. In GRÆCIS Plutarchus in aureo illo libello de Puerorum Educatione, tractatus; Expositioni textus addendo Analysin Grammaticam, subsequente Imitatiuncula per Exercitium Styli, idq; ad ductum D. VVelleri. In qua tractatione adeo dicto modo pergendum.

LECTIO PHYSICA ob Profesoris defectum hoc anno conquievit. Nunc autem omnino Publico restituenda. LECTIO JURIDICA vacavit quoq;: quæ tamen ob Auditorum frequentiam, quiq; huic maturi, eandem valde desiderant, ulterius non differenda. In LINGVA autem Sacra seu HEBRÆA, cum ejusdem addiscendæ desiderium multi ex Auditoribus contestarentur, Dominus Brunsenius Collegium aperuit: In quo horis extraordinariis, diebus Mercurii videlicet & Sabbathi pomeridianis, Auditores suos primo in lectione, dein in Grammatica resolutione per decem priores Psalmorum Davidis exercuit: Quod porro in gratiam Eorum, qui hujus lingvæ cognitionem ad Academiam afferre gestiunt, ab Eodem continuabitur.

XI. ACTUS

XI. ACTUS ORATORII *Solemnes* habiti sunt sex: Unus Imitationis adstrictæ, quæ Oratio typis etiam edita est: Reliquæ Imitationis liberæ, in qua tamen non minus & phrasîs Ciceroniana & copia & numerus dominaretur.

Privato-publici hebdomadatim constitutis horis habiti: Idq; ideo frequentius, quod & Præceptis & Exercitatione jam Auditores Studio Oratorio magis magisq; parati fuerint. In his autem, ut eo majore cum fructu esset, hæc adhibita Auditorum distinctio, & pro eorundem captu observata Methodus. I. Pro novitiis & infimis singulis septimanis proposita est Chria, ejusdem argumenti cum Dispositionibus earum Orationum, quæ Superioribus elaborandæ dabantur. E. gr. Si Pacis Encomium commendabatur his Oratione exornandum, illis Sententia Ciceronis proposita: Dulce nomen pacis, &c. pro exaranda Chria: quomodo etiam illi Chriâ, in Exordio vel Tractatione uti, & hi ex Orationis tractatione Chriam suam poterant dilatare. II. Mediis partim dispositioni asvetis, partim eidem initiandis, Dispositiones Orationum propositæ sunt; Ut: Disvasio immaturæ peregrinationis; Hortatio ad debitam sui præparationem in usu S. Synaxeos; Invectiva in disolutos Juventutis nostrorum temporum mores, &c. III. Superioribus liberum fuit Thema eligere, disponere & elaborare. Et qui ex illis diligentem navarunt operam, iis potestas facta horâ consuetâ Orationem sive Chriam ita à se elaboratam declamandi. Cumq; interea omnes inciperent Ipsum disponendi artificium assequi, ampliorem ingrediendo jam campum; omnibus sine discrimine, Themata nuda injuncta sunt, in quocunq; genere Orationis pro arbitrio tractanda. In quem finem I. Complures REGULÆ ex Septem Sapientum Monitis Selectæ, & Ethicæ præcepta ad vitam honeste instituendam continentes, propositæ. E. gr. 1. DEUM time. 2. DEO omnia tribue. 3. Vive pius. 4. Cole Sacra. 5. Juramento abstine. 6. Nosce te ipsum. 7. Ama disciplinam. 8. Dilige Prudentiam, &c. Ut ita Juventus hinc disceret, quanto studio & ipsi gentiles ex solo Naturæ lumine honestatem sectati sint: Horum L. tractatione absolutæ; binis videlicet unam proponendo, sicque successisse reliquis, quo ipso & omnes omnibus innotescebant, & in variis tamen materiis varii exercebantur: Ipsa etiam elaboratione, per Declamationes hebdomadatim institutas, sic inter auscultandum in emolumentum cedente. II. SYMBOLA IMPERATORUM eodem modo elaboranda iisdem tradita, Exordiendo ab illo Julii Cæsaris: *Semel quam semper*; Ex quibus absoluta sunt XXXII. Idque eadem Methodo, ut superiora, quod sic & plurimum progredi, & ubique tamen cum fructu, quam maximè liceret: Dum ultimum esset illud Gordiani: *Omnis vita supplicium.*

Hac Exercitationis Oratoriæ ratione, cum nihil utilius inveniri possit, præsertim in Symbolis Imperatorum Oratione exornandis, Eadem sedulo continuanda. Ita enim fiet ut Auditores Ipsorum Imperatorum Catalogum sibi familiarem reddant, Vitam eorum, mores & consuetudines, non contemnendam Romanæ historiæ partem, cognoscant, & ad justî honestiq; regulam

regulam exigere discant, sicq; copiam simul rerum & sententiarum variis usibus accommodandam, hauriant.

DISPUTATIONES *Solemnes* rariores fuere, duæ videlicet Ethicæ, de Fortitudine & Temperantia; una Politica, de Republica: partim quod majoris essent apparatus, partim quod Calcar harum Exercitationum, frequentius Auditorium, deesset; nescio enim quâ refrigerescere facit Studia publica, si illis æstimatio desit. Interea defectus hic Disputationibus *Privato-publicis* compensatus, idq; eo majore cum fructu, quo crebrius institutæ. Et quia alternis vicibus habitæ, à Domino Brunsenio quidem materiæ & quæstiones selectæ ex occasione lectionis Boxhornianæ: Ut; An Majestas dicto lædi queat? An Majestas legibus sit adstricta? An jus dominationis sit vera Tyrannis? A Dn. M. Camerario vero ex occasione Justiniani: Ut; An quovis modo liceat affectare Imperium: Cujus negativa defensa. An Principem præstet esse callidum, quam simplicem; quæ distinctione determinata, &c. Hæc ergo Exercitatio pari contentione porro ut vigeat, danda opera.

Et quia in Prima Methodo Magistri Lingvæ Gallicæ injecta mentio: Commodum se offert Guilielmus de la Garde, natione Gallus & quidem Idiomatis ac accentus purioris, qui operam suam in docendo, non Gallica tantum Lingva sed & Italica prolixè pollicetur, cujus etiam utriusq; Specimen exhibuit. Huic ergo indultu SERENISSIMÆ PRINCIPIS REGENTIS, utramq; Lingvam profitendi, habitis Collegiis, copiam fecimus.

IN SECUNDO ORDINE.

LECTIO RHETORICA fervet, aliquoties hoc anno ut antea, absoluta. In quâ ergo nunc Praxis tam in Variatione quam Imitatione Rhetorica crebrius instituetur: Imprimis vero in Amplificatione etiam Rhetorica Discipuli exercendi erunt; intellige eâ, quæ fit per Figuras tam Dictionis quam Sententiarum, ut & Figuras amplificationum in specie sic dictas, quo ita Auditorium hoc Superiori Ordini magis magisq; præparetur; utpote in quo Amplificatio Oratoria in specie sic dicta, atq; ex Locis Topicis ducenda, deinde monstratur.

In LOGICA parem successum speramus, postquam Idea Logicæ Practicæ Typis vulgata est; In qua omnes Præceptis memoriæ mandandis dabant operam, superiores eadem ex addito Commentario exemplis declarabunt. Exercitatio deinde, Præcepta illa magis infigens animo, instituetur, ad modum Exercitationis prioris superius annotati, Thema scilicet aliquod per Terminos simplices, Propositionem & Syllogismum deducendo, idq; pingviori minervâ.

In *Nepote* perventum est ad Cononem, cujus tractationi promovendæ, cum magnum inde Juventuti in Latinitate emolumentum accedere observemus, duæ horæ superadditæ, Vicariæ videlicet Lectioni Januæ Lingvarum in Tertium Ordinem, qui huic jam maturior esse incipit, transferendæ. In *Epistolis Ciceronis* ut & *Ovidii* prælectione trita jam viâ pergendum. *Exercitia Styli* ad Seyboldi Textum numerosè exhibita: prout & libera; nec quæ sunt

sunt Styli ligati negliguntur. In quibus omnibus sola opus continuatione gnava. In *Græcis* Declinationes & Conjugationes una cum explicatione Textus Evangelici, & Examine Grammatico, prouti cœperunt, ita continuandæ. *Theologiæ Compendium Hermanni* iterum iterumq; Discipulis inculcandum.

Progymnasmatum Exercitationem in hoc Ordine non frustra fuisse, ostenderunt specimina quorundam Primorum, in hoc ultimo Examine non sine laude edita. In hoc ergo Exercitii genere Juventutem hanc porro sedulo exerceri, eo magis interest, quo magis Superiori Ordini plurimi eorum maturescunt. Et quidem Superioribus sola Christi dispositio dabitur, Stylo exornanda. Inferioribus vero Textus Germanicus in Latinum transferendus. Manu ductio in Hodogetico à Professore hujus Lectionis expressa & in Discipulorum suorum Ulum typis exscripta, instituto huic serviat.

IN TERTIO ORDINE.

Studia Pueritiæ egregie etiam proficiunt. Nam in Grammaticis Compendium Rhenii hoc ultimo semestri totum absolutum est: Ex Orbe Sensualium picto capita quinquaginta, cum totidem Exercitiis Imitatoriis: Exercitia ex Officina Virtutum octoginta: Libera octodecim. Ex Colloquiis Corderi Libri IVti capita 45. & Lib. Vti c. 10. cum Expositione Textus, Examine Grammatico & Imitationibus. Et hæc omnia uno Semestri peracta. Ex Catone Libri duo cum Imitationibus. Porro quia hujus Classis profectus jam quoq; altius asurgunt, Orbi Sensualium picto, imposteriorum Janua linguarum succedet: In reliquis, priorem diligentiam posterior trudet, laudando exemplo.

IN QUARTO ORDINE.

Synopsis Grammatica hic non tam incipit, quam finitur: Unde etiam ipsa Styli Exercitia successu suo non carent; Sic ut hoc ultimo Semestris spatium primores Officinam primæ Latinitatis vertendo maximam ejus partem jam confecerint. In reliquis progressus quoq; fiant haut pœnitendi. In hoc ergo Ordine Orbis Sensualium pictus Vestibuli locum subibit.

IN QUINTO ORDINE.

Parvuli non solis jam Declinationibus & Conjugationibus occupantur, sed & Examine Etymologico subjecti rationem reddere incipiunt eorum, quæ in Declinationibus Nominum Coniunctis, & Conjugationum diversitate ab iis exiguntur. Huic ergo Ordini Vestibulum in possessionem cedit. Neq; in hoc, ut & Sexto in Ordine, quicquam superest, quam ut operæ indefessè urgeantur.

ACTUS SCENICI hoc etiam anno conquievère, idq; variis de causis. Inter quas non postrema, quod Disciplina tanto majore cura reducenda fuit, quo magis tot retro annis collapsa penitus; Cujus ideo solvendæ iterum
occasions

occasiones omnes initio præscindendæ fuerunt: Solvunt autem eam non parum Comediæ, nisi prius stabilita eadem, atq; satis confirmata fuerit. Deinde inventa profectuum disparitas, in ipsis Classibus, Lectiones ordinarias cum primis ferventissime urgendas præstitit, dum illa aboleretur, & ad æqualitatem aliquam redigeretur, quod maximo & discentibus & docentibus impedimento esset ista profectuum unius Classis inæqualitas. Accedit, quod imprimis in Superioribus Classibus Docentium paucitas obstabat, qui ordinariis lectionibus obruti, extraordinariis illis vacare haut poterant. At nunc ob insignem quam habent, rectè & tempestivè institutæ, usum, reducendæ, idq; cò contentius, quo favorem publicum non de fore his Docentium conatibus speramus.

Hæc Actorum Agendorumq; Summa: Quibus quantum hucusq; profectum sit, & quid imposterum sperandum, Examen hoc Publicum, quod intra biennium Quartum habitum est, benevolo & frequenti Auditorio abunde comprobavit. Est vero quod DIVINÆ BONITATI debemus, cujus Clementi benedictione & SERENISSIMÆ PRINCIPIS REGENTIS Magnâ CURA factum ut hoc Gymnasium nostrum, quem multis retro annis amiserat florem recipere, pristinumq; decus recuperare cœperit, in quibusdam etiam superare. Cujus quidem evidens documentum est, quod biennii hujus spacio, Universum Gymnasium faciem suam quasi mutare inceperit: Ita, ut Primi antea Ordinis Auditoribus nunc Secundi Ordinis Discentes profectus suos æquent. Tertius Ordo Secundum ferè referat; Quartus Tertium. Unde etiam nullus Tertio Ordini jam adscribitur, nisi qui Exercitiis Styli ita fuerit initiatus, ut admissum in Argumento errorem vitiumq; vel agnoscere, si moneatur, & corrigere, vel ex Præceptis Grammaticis emendatæ dictionis rationem reddere possit. Ex Tertio in Secundum nemo promovetur, nisi qui Grammaticæ Præceptis usuq; jam plane sit imbutus & in Exercitiis Styli ad extemporaneam usq; facilitatem exercitatus. Ex Secundo in Primum nemo, nisi qui Lingvæ Latinæ proprietati atque congruæ dictioni elegantiam jam junxerit, & Præexercitamentis Oratoriis sive Progymnasmatibus qua elaborandis qua declamandis Superiori Auditorio fuerit præparatus. Auditoribus Primæ Classis ipsis jam Orationibus proprio Marte tum disponendis, tum elaborandis operam suam cum laude navantibus: Cujus rei nullum in Superioribus Temporibus omnibus vestigium reperimus. In Contrarium vero florentissimo etiam illo, sub Celebratissimo Rectore Magistro Melchiore Laubano, Gymnasii Statu deprehendimus, Primi Ordinis Auditores solis Chriis componendis, summum, Orationibus ex dispositione elaborandis, operam dedisse, altius non progressos: Ipsos vero inferiorum Classium Præceptores quolibet trimestri, Orationem à se dispositam & elaboratam publicè habuisse. Ita etiam quod Docentium olim fuerat, nunc Discentium factum est. Adde quod in Disputationibus tam Privato-publicis, quam Solemnibus ii, qui primi pili sunt in hoc Ordine, ea cum facilitate ac promptitudine jam versentur, ut ad Academicam exercitationem proximè accedere videantur.

videantur. Unde spem indubiam concipimus, quod, si Favor Publicus porro & promovendorum Publicorum Studiorum constans ardor accesserit, atq; qui unus ex Professorum numero adhuc deficit, quamprimum substituat, concatenatis laboribus Publicis humeros suos, prouti alii, alacriter sufficiens, Gymnasium nostrum ad invidendam nominis celebritatem brevi surrecturum sit, neq; ulli Gymnasio Academico, quale ultima voluntate DIVUS nunc PRINCEPS noster esse voluit, Docendi successu facile concessurum: Neq; hæc ideo à nobis hîc dicuntur, quod propriae Gymnasii Nostri gloriae servire studeamus, sed nè publicè Docentes promerita laude privemus, quin potius fidei, industriæ ac dexteritatis eorum Publicum Testimonium perhibeamus. Non ignari in laboriosissimo hoc & tædiosissimo, contemtu tamen fere, sæpe etiam ingratitude obnoxio, Scholasticæ vitæ genere hoc unicum pene Cultoribus sui, vitæ & laborum solatium relictum esse, si quæ recte fiunt, agnoscantur: Sine quo præmio etiam Virtus si sit, Studia publica non possunt non langvescere, & paulatim ad eam, ex qua tanto cum labore & curâ emerimus, ægritudine relabi. Clementissimus DEUS porro & Votis & laboribus nostris pro publico susceptis, gratia & benedictione sua adsit. Publicatum VIII. Febr. Anno M DC LXXIV.

HENRICUS MARTINIUS, M. D.

Consiliarius & Archiater Ducalis Primarius,
Gymnasii Brigenfis SCHOLARCHA.




videtur. Insuper subdubium cognoscimus, quod si Favor Publicus par-
to & promovendum Publicorum studiorum constanti ardore accenderit,
atque, cuius ex Professorum numero adhuc deest, quantum in subditis
tam constantis laboribus Publicis huiusmodi fuerit, prout illis alacritate
creas, Gymnasium nostrum ad invicendamque celebritatem brevi tem-
porum intervallum, nec nisi Gymnasio Académico, quae ultima voluntas
nunc PUBLICI noster esse voluit, Docendi facultate concessimus.
Idcirco, hinc inde a nobis hic dicuntur, quod proinde Gymnasii nostri gloria
futura hinc inde, sed et publice Doctores, proinde laude privimus,
quae hinc inde, invidiam ac detractionem contra Publicum Testimonium
perhibemus. Non igitur in laborioso hoc et arduo, commu-
nitatem fore, expedito ingrandi obore, scholarumque hinc inde hoc
incurit hinc Cultoris tui, viz & laborum sollicitudinem esse, ut
restituere, necesse est, sine quo prope certum in hinc inde studio
non possit in iustitiam, & proinde ad tam, ex qua tanto cum labor
& cura formata, agendum est. Clarissimum PUBLICI portus
sunt & hinc inde nobis pro publico iudicio, gratia & benedictione
adhaec Publicum VIII. Febr. Anno M DC LXXV.

HENRICUS MARTINIUS, M.D.

Coallitane & Archidiaconi Quodam Friderici
Gymnasii Bigensis Rector ARCH.





Ving VI 184

VO 18
VO 18



*Schulstr. Pöny
204*

METHODI
SCHOLASTICÆ
TRIENNIALIS
CURSUS CONTINUATUS

CUM
CATALOGO
LECTIONUM PUBLICARUM,
TERTIO HOC ANNO

TRACTANDARUM,
AUTHORITATE

SIMÆ PRINCIPIS
E N T I S,

ET TOTIUS
RIS CONSILII
RIGENSIS,

ORDINANTE
II SCHOLARCHA,

o M DC LXXIV.

I. FEBRUARIL.



BRIGÆ,

Johannes Christophorus Jacobi.

